



1728, 15 70.
CHRISTIANI WILDVOGELII,

ICTI CONSILIARII SAXO IENENSIS INTIMI, IVDICII
AVLICI ASSESSORIS, COLLEGIORVM IVRIDICORVM
SENIORIS ET ANTECESSORIS, ORDINIS IVRI-
DICI h. t. PRODECANI

DE
**OFFICIO IVS DICENTIS
LATISSIMO**

Ad

L. I. D. d. Jurisdict.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P.

IN ACADEMIA IENENSI

D. XXX. MAII A. O. R. MDCC XXIII.



Theod. Aug. Scheler
LITTERIS MULLERIANIS.

CHRISTIAN WILHELM
LEHRE DER MATHEMATIK
VON
CHRISTIAN WILHELM
LEHRE DER MATHEMATIK
VON
CHRISTIAN WILHELM

DE
OFFICIO IVS DICENTIS
LATISSIMO

J. A. D. h. J. J. J. J.

PROGRAMMA INAGURALE

IN ACADEMIA TENESIA
D. XXX. JUN. A. O. F. MDCCCXIII.



MITTEL





Iudicia a supremo Numine & iudice mortalium iustissimo introducta esse nemo est, qui ambigat. Cum enim malitia animis hominum post lapsum primorum parentum agnata & affectuum imbecillitas prudentissimos sapius a virtutis tramite seducat, necessitas quasi postulat, ut in Republica legum constituentur custodes, qui civium actiones morales dirigant, oborta iurgia & disceptationes dirimant, atque societatem humanam præsent incolemem, ut hinc sacratissimus Imperator Justinianus, in Nov. 95. cap. 1. rectissime pronuntiaverit : nec possibile, nec probabile esse, sine iudice relinqui provincias.

Ut autem omnia recte procedant, imprimis Iudex legum præscripta in decernenda sententia observare obstrictus est, & probe attendere debet, ne vel durius, quicquam vel remissius statuatur, quam causa deposcit, ceu MARCIANVS ICTUS jubet in *l. u. d. pæn.* & sceleratam in manibus gestet, lances appendat æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim

fertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeat solum Deum, monente Pontifice, INNOCENTIO VI. in cap. 1. de sent. & re jud. in 610.

Quod ad exercitium hujus muneris & ipsam potestatem judicis attinet, generatim id exponit VLIPIANVS in Leg. 1. d. jurisd. quando officium Judicis latissimum esse, ait, & quæ ratione illud intelligendum sit, simul exponit, certos actus eidem competentes subjungens. Hic autem quarit antiquus GLOSSATOR BARTHOVS, in expositione istius legis, quare Ictus dixerit, Jus dicentis officium esse latissimum & non longissimum? atque facete respondet: quia sapientia non consistit in longitudine, & raro longus invenitur sapiens. Hanc autem expositionem non placuisse DTNO, cum esset longæ & grandis staturæ, memorat BARTHOL. CHASSANÆVS, in Cat. slog. gloriæ mund. part. 12. consil. 97. atque simul notat, in ore esse vulgi: miror magis magnos sapientes, quo etiam referre licet, quod apud ERASMVVM legitur in Chiliad. Tit. Prælongi de hominibus insignis proceritatis, nimirum illos communiter male audire, tanquam vecordes & inertes, inque eos natum esse censet proverbium ex Julio Capitolino: Caligæ Maximini, utpote qui fuerit pedum octo & prope semis, præterea moribus barbaris ac feris. Ita nimirum ex habitu corporis externo, de indole ejus & internis virtutibus judicium ferre nonnulli præsumunt, veluti etiam e contrario ex statura hominis breviori, magnitudinem animi, imo sapientiam præsumere solent, atque huc adducunt SALOMONIS dictum, Prov. 30. vers. 24. juxta translationem SEBAST. SCHMIDII. Quatuor hæc sunt minima terra, eademque sapientum sapientissima. Formice, populus non fertis, præparat tamen in æstate

estate cibum suum. Cuniculi, populus non validus, ponunt
tamen in petra domum suam. Rex non est locustis, exit ta-
men distincte ordinata quævis. Aranea manibus palpat, illa
tamen in palatii Regis est. Imo Lucas de Penna, in l. char-
tulas, pr. C. d. conven. ffc. debit. scribere non veretur,
quod breves dicantur cauti, & raro se vidisse breves
humiles. Veruntamen sicuti iudicium de longitudine
& proceritate corporis admodum fallax est, & exemplis
quam plurimis ex ipsa scriptura sacra desumtis refellitur,
veluti de primo Israelitarum rege Saulo legimus, quod
omnes sodales statura superaverit & tanquam prudentissimus
ab ipso numine ad regendum populum fuerit electus, ita quo-
que Bartholi expositio supra allegatæ legis ridicula magis,
quam seria censeri meretur: nec enim latitudo ibidem
personam jus dicentis, sed ejusdem officium respicit, neque
opponitur latitudini, sed potius extensionem potestatis tam
in longum, quam in latum innuit, ita ut utrumque
in se contineat; hinc & longum & latum sapissime in le-
gibus conjunguntur ad denotandam amplitudinem juris
aut rei, de qua agitur, prout notat Calvinus in Lex.
jurid. verb. longe. Rectius vero sententia Icti ex ipsorum verbo-
rum contextu colligitur, quando is latitudinem jurisdi-
ctionis ita declarat: *nam & bonorum possessionem dare po-
test, & in possessionem mittere, pupillis non habentibus tu-
tores constituere, iudices litigantibus dare.*

Quamvis enim aliud sit *jus dicere*, aliud *judicare*, quo-
rum prius ad magistratum apud Romanos pertinebat, po-
sterius vero ad iudices; cum tamen iudex officium suum ri-
te exequi nequeat, nisi media ad effectum conducentia
simul adhibeat, hinc illa ipsa eidem quoque concessa di-
cuntur, adeoque licet quæ mixti sunt imperii, ad ju-
ris-

risdictionem non pertineant, officio tamen iudicis tribuuntur. Brunnem. *ad d. l. 1. d. jurisd.* atque sic Jus dicens interdum sua, interdum adventitia utatur potestate. Zasius *ad b. text. n. 23.*

Nota hæc omnia esse debent illis, qui ad Iudicis officium adspirant, & aliquando justitiam administrare contendunt, ideoque indefessa opera Jurisprudentiæ studio illis incumbere convenit, quo tandem patriæ inservire atque præmiis condignis ornari mereantur:

Fecit id ipsum præfens honorum doctoralium candidatus pereximius,

THEODORVS AVGVSTVS SCHELERS

cujus propterea ortum, natales atque laudabiles studiorum decursus, ad aliorum imitationem, hac plagula paucis designare, mos a majoribus in academiis receptus postulat.

Natus is est Ulmæ, celeberrima illa S. R. I. civitate, anno post natum Christum M DCC. die XXIV. Aprilis, Patrem habuit virum Prænobilissimum atque prudentissimum IOANNEM GEORGIVM SCHELERYM, Senatorem atque armentarii Præfectum meritissimum, jam inter cœlites agentem Matrem, MARIAM HELENAM, sexus virtutibus clarissimam, ex generosissima familia Schleicheriana ortam. Hi parentes optimi non tantum vera pietate & bonis moribus ejus adolescentiam instruxerunt, sed etiam, annum ætatis VII. ingressum, celeberrimo Gymnasio patrio, pro moribus atque studiis ulterius formandis, elegantioribusque literis addiscendis, eum concediderunt, ubi, a præceptoribus clarissimis singulari studio ac laudabiliter institutus,
egre-

egregios in litteris humanioribus optimisque artibus fecit
progressus. Percepta ad hunc modum omni digna libe-
ro homine disciplina, patrios lares, cum antea, nimirum
M DCC XX. Tubingæ a viro amplissimo CHRISTIANO
HAGEMAIERO, Philos. Pract. & Rat. P. P. in studiosorum nu-
merum receptus esset, reliquit, atque Salamam nostram,
studiorum matrem, A. M DCC XXIV. adiit, ibique gra-
vioribus disciplinis, præ cæteris vero Jurisprudentiæ se to-
tum tradidit, & Doctores præstantissimos cum publicos
tum privatos sedulo audivit.

Laudat enim inter hos virum summe reverendum
atque excellentissimum IOANN. FRANCISCVM BVDDEVN, S.
S. Theol. Doctorem & Prof. Publ. primarium, cujus le-
ctionibus doctissimis ad secundam Institutionum Theolo-
gia moralis partem assidue interfuit. In studiis Philoso-
phicis atque Historicis viros magnificos, excellentissimos
atque amplissimos, scilicet BYRCARDVM GOTTHELF. STRV-
VIVM Ictum & Consiliarium Baruthinum aulicum,
IOANNEM IACOBVM STRBIVM, GOTTLIEB. STOLLIVM, &
IOANNEM MARTINVM SMEIZELLVM, Philosophiæ Pro-
fessores publicos celeberrimos sectatus est. In primis au-
tem Ictorum præstantissimorum scholas frequentavit, &
Jurispublici atque feudalis principia a jam laudato STRV-
VIO hausit, in Jure Canonico, CASPARVM ACHATIVM BE-
CKIVM Antecessorum famigeratissimum habuit Doctorem
atque Ictum; nec minus privatorum Doctorum scholis fre-
quens interfuit, & Consiliarium Saxonicum IOAN. VVILH.
DIETMARVM, Institutiones Justinianeas atque Digesta, ut &
IOANN. ERNEST. FLOERKIVM, J. U. D. & in curia prov. Sax. caus-
farum patronum, Jurisprudentiam STRVVIANAM & Schilteri
Jus ecclesiasticum exponentem auscultavit. Jure itaque suo
hic

hic Candidatus egregius ad summos in Jure honores ad-
spirat, atque talem Ordini nostro in consuetis examinibus se
exhibuit, ut ad publicum eruditionis specimen edendum,
nimirum Dissertationem inauguralem *de emigratione civium
religionis causa factam*, ventilandam produci mereatur: cui
actui ut Magnificus Academiae Pro-Rector, Illustrissimi Comi-
tes, Proceres Academiae venerandi, hospites omnium ordi-
num atque Facultatum honoratissimi, nec non generosi ac
nobilissimi Studiosi interesse velint, Facultatis & meo nomi-
ne, submitte, humanissime atque officiose oro rogoque.

Dabam Jenæ, d. XXX. May Anno

M DCC XXXIX.





Jena, Diss., 1728 (1)


VD 18


ULB Halle 3
003 561 461



f

7A-20C





1728, 15 No. 16
CHRISTIANI WILDVOGELII,

ICTI CONSILIARII SAXO IENACENSIS INTIMI, IVDICII
AVLICI ASSESSORIS, COLLEGIORVM IVRIDICORVM
SENIORIS ET ANTECESSORIS, ORDINIS IVRI-
DICI h. t. PRODECANI

DE
**OFFICIO IVS DICENTIS
LATISSIMO**

Ad
L. I. D. d. Jurisdicte.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P.

IN ACADEMIA IENENSI

D. XXX. MAII A. O. R. MDCC XXXIX.



LITTERIS MULLERIANIS.

Theod. Aug. Scheler

